NB. men nec ipsa quidem juris textui est inserta. Desiderium autem intelligendi divinas scriptutas, & secundùm eas adhortandi, tantúm abest, ut ibidem reprehendat, ut etiam disertè commendet Papa etiam in Laicis simplicibus,& indoctis; desiderium, inquam, humile, prudens, & ordinatum, non verò præsumptuosum,temerarium & superbum, quale erat sectæ illius tàm mulierum, quàm virorum, qui suprà Sacerdotes se multúm sapere, scripturamque *subtiliùs* interpretari præsumentes *defecerunt scrutantes scrutinio.*

Et talis est tua, mi Hermanne, præsumptio contra Diviniſſimos Ecclesiæ Patres; Tametsi tu rusticellum aliquem vel aniculam in cathedram vestram sive scholasticam,sive Ecclesiasticam involantem, vel tuas reprehendentem interpretationes scripturarum tanquàm bestiam horrendis convitiorum saxis quateres ac lapidares: ut hic immeritum, ipse potiús lapidandus, Typographum lapidàsti: cúm ille scripturam & reverentiús attingat; &, quoad articulos inter nos vosq; controversos, sub venerandâ SS.Patrum Pædagogiâ meliús intelligat, quàm Hermannus.

Sanè Honoratum quendam à Manichæis deceptum, quia hæc scripserat: (*Cùm legerem, per me ipse cognovi*) sic excipit Augustinus: *Itané est? Nullâ imbutus poëticâ disciplinâ Terentianum Maurum sine Magistro attingere non auderes; Asper, Cornutus, Donatus & alii innumerabiles requiruntur, ut quilibet Poëta possit intelligi .... Tu in eos libros* (S. Scripturæ) *sine duce irruis, & de his sine præceptore audes ferre sententiam!*

l. de util. cred. c. 7. Tom. 6.

At fermè oblitus eram, quemadmodúm tuus ille sanctiſſimus Papa Wittebergensis non homines simplices & indoctos, sed undequaque doctiſsimos, ipsosque adeó S.R. Imperii Principes & Electores unà cum Cæsare Augusto decreverit esse *Bestias*, eosque ipse horrendo convitiorum turbine lapidârit.

Papam equidem se dicit in consolatoriâ illâ absolutionis formulâ, quam ad Ambsdorffium suum Papæ in extremis

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 204, [20] - 16
PUBLIC DOMAIN